



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||


**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

Cap. I. Electores ante Gregorij X. Pontificis & Friderici II. Imperatoris  
tempora designatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)



# LIBER TERTIVS.

## S V M M A.

Septem Electores Imperij à Romano  
Pontifice constitutos.

CAPVT PRIMVM.

*Electores ante Gregorij X. Pontificis & Friderici II. Imperatoris tempora designatos.*

**R**OSTREMA restat quaestio de septem Electoribus, quam Illyricus fustissimè persequitur à pag. 89. vsq; ad 138. & quoniam tres auctorum sententias de hac ipsa quaestione fuisse habeo, quarum una Gregorio V. Romano Pontifici, altera Gregorio X. item Romano Pontifici; postrema Ottoni III. Imperatori institutionem hanc Septem-virorum Principum adscribit: vt primam sententiam, quae verissimè corroboremus, duas posteriores confutare pro viribus aggrediemur.

Principidè igitur Ioannes Auëtinus primus est (quod sciam) qui communi, & multorum auctorum sententiis trito itinere praetermissò, nouam quandam semitam aperuit. is enim lib. 5. Annalium Boiorum pag. 510. de septem Electoribus loquens, Ego, inquit, illos demum post fata Friderici II. institutos, & à Gregorio X. confirmatos esse compertum habeo.

Auentinum sequutus est Onuphrius Panuinus in libro de Comitibus Imperatoriis. tametsi enim ignorare se dicit, quando, & à quo septem Electorum institutio manauit: affirmat tamen, se certò comperisse, incidisse eam in illud tempus, quod

quod inter mortem Friderici II. & creationem Rodulphi Imperatoris intercessit. Illud etiam addit probabile videri, illam institutionem Gregorij X. auctoritate in œcumenico Concilio Lugdunensi factam esse. quę sententia presentis causę nostrę nihil officit (quid enim nostra interest Quintusne, an Decimus Gregorius is Pontifex fuerit, qui Electores instituit, modò Pontifex aliquis instituerit?) verum tamen falsa est, atq; adedò perspicuè falsa, vt Auentini & Onuphrij temeritas nulla ratione excusari queat. siquidem Auentinus (vt paulò antè audiimus) compertum sibi esse dicit, post fata Friderici II. Septem viros institutos; Onuphrius autem in libro de Comitibus Imperatoriis, hæc verba scribere ausus est: Itaq; cùm nullus nec Germanus, nec Italus, nec cuiusuis gentis auctor, qui tamen ante Friderici obitum vixerit, vel verbum quidem de hac re faciat; profectò necesse est, vt longo tempore post Othonis tempus hoc institutum fuerit.

Videamus igitur an reperire possimus auctorem, qui ante obitum Friderici II. vixerit, & Electorum Imperij meminerit. Martinus Polonus Pœnitentiarius fuit Innocentij, Papę IV. vt Onuphrius testatur in additione ad Platinam, vbi fabulam Ioannis VIII. scemina refellit. vixit igitur idem Martinus, Onuphrio teste, ante obitum Friderici II. nam cùm Innocentius Papa ante Fridericum obierit, vt idem Martinus scribit in vita eiusdem Innocentij; non potuit certè Martinus Innocentij Pœnitentiarius esse, nisi ante obitum Friderici vixerit. neque multum refert quòd Onuphrius Fridericum annis quatuor ante Innocentium obiisse scripsit. nam ne sic quidem potuit Martinus Pœnitentiarius apud Innocentium agere, nisi multos annos ætatis exegerit ante obitum Friderici, nisi Pœnitentiarius: infantulus, atque adedò quadriennis fuerit. Hic igitur Martinus in vita Othonis III. ita scribit: Et licet isti tres Othones per successionem generis regnauerint: tamen postea fuit institutum, vt per Officiales Imperij, Imperator eligeretur. qui sunt septem: videlicet primò tres Cancellarij isti, Moguntinensis Germaniæ, Treuirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ: Marchio Brandeburgensis Cameraarius est; Palatinus Dapifer; Dux Saxoniam ensem portat; Rex Bohemus pincernam agit. vnde versus:

ēēēē

Mogun-

*Moguntinensis, Treuirensis, Colonienſis,  
Quilibet Imperij ſit Cancellarius horum:  
Et Palatinus Dapifer; Dux portitor enſis:*

*Marchio præpoſitus Camera, pincerna Bohemus.*

*Hi ſtatuant Dominum cunctis per ſæcula ſummum.*

Habemus igitur auctorem vnum, qui diſertis verbis Electorum meminit, cum tamen ante obitum Friderici vixerit. Sed accedat etiam ſecundus teſtis. S. Thomas Aquinas non modò ante obitum Friderici II. vixit, ſed etiam obiit ante Lugdunenſe Concilium, in quo vult Onuphrius ſeptem Electores Imperij à Gregorio X. inſtitutos. nam Fridericus II. obiit (Onuphrio teſte) anno Domini M. CC. L. ſanctiſſimam Thomas in cœlum ex hac vita migravit anno Domini M. CC. LXXIV. cum ad Concilium Lugdunenſe prohiſceretur, & annum vitæ ageret quinquageſimum, vt S. Antoninus ſcribit, 3. par. Summæ hiſtorialis ti. 23. cap. 7. §. 11. ex quo ſequitur, vt S. Thomas annum egerit ſextum & vigeſimum, quo tempore Fridericus II. moriebat. Hæc autem ſunt verba S. Thomæ, lib. 3. de regimine Principum cap. 19. Otho, inquit, Imperium tenuit vſque ad tertiam generationem, quarum quilibet vocatus eſt Otho. & ex tunc (vt hiſtoriæ tradunt) per Gregorium V. genere ſimiliter Teutonicum promiſit electio. vt videlicet per ſeptem Principes Alemaniæ fiat, quæ vſque ad iſta tempora perſeuerat, quod eſt ſpaciũ ducenarum ſeptuaginta annorũ, vel circæ, & tantum durabit, quantum Romana Eccleſia, quæ ſupremum gradum in principatu tenet, Chriſti fidelibus expediens iudicauerit. Hæc ſanctus Thomas.

Prodeat verò & tertius teſtis. B. Auguſtinus triumphus (vt ex Epitaphio conſtat, quod exſtat incifum in ſepulchro eius Neapoli, in Eccleſia Eremitarum Auguſtinianorum) obiit anno Domini M. CCC. XXVIII. cum vixiſſet annos octoginta quinque, quocirca neceſſe eſt eum anno Domini M. CC. L. quo Fridericus II. obiit, fuiſſe annorum ſeptem; & anno M. CC. LXXIV. quo Lugdunenſe Concilium à Gregorio X. coactum eſt; annorum fuiſſe vnius & triginta; proinde vixiſſe non modò ante Concilium Lugdunenſe, & Gregorij X. Pontificatum, ſed etiam antequam Fridericus II. moreretur. Hic igitur

igitur auctor in summa de potestate Ecclesie quaest. 35. art. 2. ita loquitur: Gregorius V. tempore Othonis Imperatoris, conuocatis & requisitis Principibus Alemaniae, septem Electores instituit, officiales ipsius curiae Imperialis: quatuor laicos, ut Regem Bohemiae, Ducem Saxoniae, Comitem Palatinum, & Marchionem Brandeburgensem: & tres clericos, Archiepiscopum Moguntinensem, Treuirensis & Coloniensem. Iam verò si tres isti testes Onuphrio atque Auentino minimè satisfaciunt; accedat etiam quartus, Henricus Cardinalis Hostiensis, qui, teste Trithemio in lib. de scriptoribus, anno M. CC. XL. florebat, nimirum anno decimo ante obitum Friderici, & trigesimo quarto ante Concilium Lugdunense à Gregorio X. celebratum. is enim explicans decretalem Innocentij, quae incipit, Venerabilem; septem numerat ac nominat Principes, ad quos Electio Imperatoris antiquo iure pertineat. Accedat etiam quintus testis, quem Illyricus antagonista noster producit, exstat enim (ut ipse ait) Chronicum manuscriptum, ex quo plurima Albertus Krantzius ad verbum descripsit. Est autem Chronici illius auctor Friderici II. aequalis, & ante obitum eius sine dubitatione vixit, cum ipse testetur coeptum à se scribi Chronicum illud anno Domini M. CC. XL. id est, decennio ante mortem Friderici. in eo igitur Chronico sic auctor loquitur, Papa Gregorius (Nonus) in solentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens, Principes super electione alterius sollicitauit, sed nihil profecit. quia quidam Principum ei rescripserunt, non esse sui iuris Imperatorem substituere, sed tantum electum à Principibus coronare. electio enim ad illos dignoscitur pertinere. Ex praetaxatione Principum, & consensu, eligunt Imperatorem, Treuirensis, Moguntinus & Colonienfis. Palatinus eligit, quia Dapifer est; Dux Saxoniae, quia Marscalcus; & Margrauius de Brandeburga, quia Camerarius, Rex Bohemiae, qui pincerna est, non eligit, quia Teutonicus non est. Hæc ille.

Neque mirari debet quisquam, quòd hic auctor Regem Bohemiae à numero Electorum excluderit, cum is tamen septimus Elector numerari soleat, nam reuera Bohemiae Rex non eligit cum cæteris; sed solum quando sex Electores inter se ita diuiduntur, ut tres vni, & tres alteri suffragentur,

rum ille ius habet ex duobus electis alterutrum nominandi. Sic enim loquitur Ostiensis in cap. Venerabilem, de elect. Optimus est dux Bohemiae, qui modò est Rex; sed iste secundum quosdam non est necessarius, nisi quando alij discordarent. Idem cum Ostiense docent glossa in cap. Ad Apostolicae, de sentent. & re iudic. lib. 6. Albericus in l. Bene à Zenone. C. de quadrien. præscript. Baldus in Margarita, verbo Annus. Card. Florentinus in cap. Venerabilem, de elect. §. i. numero 6. & alij.

Cùm igitur tempore Gregorij IX. electio Imperatoris ad Septem-viros pertineret, vt is auctor disertis verbis testatur, qui tum vivebat; quis Auentini atque Onuphrij temeritate excusare poterit, qui tam confidenter scribunt, sibi compertum esse, Electores Imperij non ante Gregorij X. tempora à Friderici obitum institutos.

His addo tres alios testes, quos etsi non constat vixisse ante obitum Friderici, constat tamen aut tum vixisse, aut certe non diu postea, vt nullo modo ignorare potuerint, quid egerit Gregorius X. cuius temporibus ipsi vixerunt. Hi sunt, Lupoldus Bambergensis, Aluarus Pelagius, & Ioannes Villanus, qui omnes florebant sedente in Apostolica sede Ioanne XXIII. id est, anno secundo & quadragesimo post Lugdunense Concilium à Gregorio X. celebratum. ac Lupoldus quidem in libro de Iuribus Imperij cap. 2. sic ait: Tempore Othonis III. qui filiis caruit, fuit institutum, vt per certos Principes Germaniae, scilicet per Officiatos Imperij, seu Curiae imperialis, eligeretur Imperator. Hæc ille. qui etiam paulò post septem illos Principes enumerat, atque eosdem versiculos adscribit, quos supra ex Martino Polono retulimus. Aluarus Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiae, art. 41. de iisdem septem Electoribus loquens, Ista, inquit, electio incepit anno Domini M. III. & perseverabit, quantum Ecclesia Romana permiserit, cuius est regna transferre. Ioannes Villanus lib. 4. historiae Florentinae cap. 2. Italicis verbis tradit post obitum Othonis III. constitutum fuisse, idque summi Pontificis auctoritate, vt deinceps à septem Imperij Principibus Imperator diceretur, quos etiam ibidem enumerat, eorumque officia circa obsequium Imperatoris describit. Accedat postremò testimonium

nium ipsorum Electorum, quorum publicæ literæ scriptæ anno M. CC. LXXIX. Romæ exstant authenticæ, in iis enim literis fatentur ipsi, iam olim à sede Apostolica Electores Imperij in Germania constitutos. non est autem credibile, per eam vocem (olim) eos intelligere voluisse tempora Gregorij X. aut Concilij Lugdunensis, cùm epistola scripta sit tantùm quatuor annis post obitum Gregorij, quinque verò post Concilium Lugdunense. neque illud hoc loco prætereundum videtur, eos Principes qui epistolam iam dictam scripserunt, aut omnes, aut certè eorum aliquos vixisse ante obitum Friderici II. cùm inter Friderici obitum, & tempus epistolæ anni tantùm 29. intercesserint. Itaque vndique Onuphrij atque Auentini iudicium non modò falsitatis manifestæ, verùm etiam intolerandæ temeritatis arguitur.

## CAPVT II.

*Obiectiones Onuphrij refellit.*

**S**ED occurrit Onuphrius, ac duobus grauissimis argumentis cùm sententiam nostram refellit, tum suam corroborat. Inprimis illud adducit: quod si verum esset, quod nos defendimus, Gregorij V. atque Othonis III. tempore, Electores Imperij constitutos; incredibilis negligentia accusandi essent plurimi scriptores, qui rem tantam silentio inuoluerunt. nihil enim de hac re Vitichindus, nihil Luithprandus, nihil Lambertus, nihil Rhegino, nihil Marianus, nihil Otho Frisingensis, nihil Abbas Urspergensis, nihil Sigebertus, nihil alij veteres scripserunt. Deinde percurrit electiones Imperatorum ab Othone III. vsque ad Fridericum II. ac demonstrat eos electos fuisse non à septem dumtaxat Principibus, sed ab omnibus quotquot ex Germania & Italia interesse voluissent. cuius demonstrationis hîc breuem subiiciam summam. Henricum secundum Regem, sed Imperatorem primum, qui Othoni tertio proxime successit, electum ab omnibus totius regni primoribus scribit Otho Frisingensis lib. 6. capite 27. Chunradum item Regem secundum, & primum Imperatorem, communi